DYONISIUS DE BURGO SANCTI SEPULCRI

Niederösterreich (Raum Wien), 1399 Seite 198v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35039
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



ca·12

permissas iudicio in quo ponit illos qui singulari mortis modo sunt absumpti licet enim secundum
Augustinum primo de civitate dei non intersit quo genere mortis vita ista finiatur illius tamen mala
mors putanda non est quam bona vita precessit et sic ergo illius mala mors quam mala vita
precessit et quia scelerate et improbe vivere est vicio vivere quis est de eorum morte tractare
quod fecit Valerius in hoc capitulo ubi duo facit quia primo ostendit de quo est
intencio secundo exempla adducit ad propositum ibi tullius hostilius Circa primum
propositionem quandam ponit secundo eam probat ibi Ideo etc. Dicit ergo condicionem humane
vite primus et ultimus dies precipue et singulariter continet quia plurimum interest
quibus auspiciis vita ipsa inchoetur et in quo fine claudatur quod expone dupliciter
primo sic Si quis a principio sue nativitatis fuit infortunatus non est mirum si fine
infortunatus maneat sed id notandum est si aliquis in vita fortunatus existens in morte
fiat infortunatus multum ergo refertur principium vite attendere et finem considerare
¶ Secundo expone quantum ad signum nativitatis in quo hoc nascitur ut concipitur
si potest apprehendi quia alius et alius ascensus et stellarum aspectus progressum
et egressum vite humane notabiliter variat nichil enim hic inferius agitur quod non ve
niat ad disposicione stellarum et propinquitate earum et disposicionibus earum ad invicem ut dicit
commentator libro xvi° methaphisice aristotilis multum ergo refert quo die vel quo signo
humana vita inchoetur vel quo claudatur deinde cum dicit Ideoque probat quod dixit tali
racione Illum demum virum felicem fuisse iudicamus cui lucem accipere prospere quantum
ad nativitatem et placide reddere quam ad mortem contingit Sed iudicium humanum in quo
sonant omnes generaliter est verum ergo et fortunati in nativitate et morte sunt censendi
beati Sed de beatitudine loqui et de miseria multum refert et plurimum interesse ergo
multum necessarium est primum et ultimum vite diem servare et quod ad beatitudinem spectare
dicit primum et ultimum diem quasi questioni tacite Rudeo subdit de medio tempore
dicens medii id est a primo et ultimo die temporis cursus ad felicitatem non spectat
quia nullam instabilitatem portant nimo prout fortuna gubernaculum rexit modo
aspero modo tranquillo motu peragitur Et cursus iste dum cupide votis extenditur
et cum omne illud fit quo quis delectatur vel cum aviditate vita speratur spe semper
minor efficitur et fere cum ea que sine racione sunt appetuntur ipse velud ebes vite
cursus sine racione consumitur et econtra si eo vite cursu bene uti velis eciam illum quamvis
parvum amplissimum effices multitudine bonorum operum brevem annorum numerum su
peando Nam brevis vite spacium supletur bono incessu unde arguendo subdit
aliquando id est si brevitas vite bono opere prolongari non potest quid attinet quid videlicet
morti id est infructuosa mora gaudere si magis exigis vitam quam aprobas id est vita eciam
post mortem manet alias nobis bene vivere non valet Appellat autem hic manere post
mortem in memoria habendum per bonam famam esse quo homines virtuosi vivunt in eternum
de quibus hic mencionem non facit sed de hiis ne longius evagetur qui non vulgari id est communi
mortis genere sunt absumpti

Tullius hostilius etc. hanc hystoriam multi auctores ponunt precipue magister
in hystoria super iiii° libro Regum ac eciam titus livius libro primo ab urbe fuit autem iste
tullius hostilius tercius rex romanorum qui primo purpura et fascibus
ussus est qui post longam pacem bella reparavit Albanos vegetes federa
ces vicit et morte celio adiecto urbem ampliavit qui ut titus livius dicit fuit ferocior
Romulo tandem trigesimo suo regni anno flumine periit quod hic Valerius memorat
dicens tullius hostilius flumine quod vulgariter vocatur fulgore vel sagitta celestis ictus
id est percussus cum tota domo conflagravit id est simul cum familia incensus fuit sortem